

sanctitatem se sectari pharisaice persuasi. Sed idem *Tertulliano* accidisse vidimus. Certe si Pietastri tales nuptiis in Cana Galilææ interfuisent, vino deficiente, abire potius jussissent convivas, quam aliunde vinum adferri, uti Christus casu deficientis vini aquam in vinum optimum mutavit. Joh. 2, 19. *Desiderium etiam animæ*, cui indulgere DEUS concessit, Deut. 12, 15, uti ad luxum & luxuriam extendere non licet, ita hac resecta, multo laxius adhuc est, atque hodiernorum Pietastrorum nonnulli concedunt; qui etiam Davidem in honorem Jonathanis *Epicedium* scribere, si penes illos illa tempestate stetisset, non permisissent. 2. Sam. 1, 18. Parum abest quin hi homines, Socinianorum disciplinam secuti, majorem in N. quam in V. T. perfectionem virtutum fingant necessariam.

§. 16. Cæterum quid ab hoc Puritanismo impotenti, & imprudenti, nonnullorum nostratium tandem expectare liceat, haud difficulter conjici potest, ubi de simili simile fertur iudicium. Scilicet periculum est, ne inter nostros Pietismus pariat Separatissimum, & dissidium, quale in Anglia peperit Puritanismus. Nimirum, ut *Georgij Hornij* stylo ex H. E. p. 230. sq. rem explicem, quemadmodum facile ab uno extremo ad aliud transirus datur, ita etiam quog, invalescentibus sc. Puritanis, in Anglia multis contigit. Qui cum viderent multos in Ecclesia Anglicana novos, multas superfluas ac inutiles vanas ceremonias, offensi insuper crescente indies fastu Episcoporum & dominatione; eo proruperunt nimio affectu pietatis, ut Ecclesiam Anglicanam, tanquam falsam, Apostaticam & Anti-Christianam condemnarent, atq, ab ea secessionem facerent. Parum sane abest, quin & ex hodiernis fanaticæ & hypocritice sanctis dentur, qui novitatis pruritu, crasso rerum in se indifferentium abusu offensi, sub prætextu pietatis, & majoris perfectionis consequendæ, secessionem minentur. Pietatis enim persuasio; etsi omnes veræ pietatis, quæ regenerationis & Spiritus Sancti fructus est, studiosos ex animo, ex *iqv* esse deceat; ubi non cum vera scientia conjuncta est, indies ulterius grassari pergit, ad ea etiam abroganda, quæ salva pietate tolerari possunt, erroneam suam conscientiam, ejusque dictamina, pro impulsu Spiritus Sancti, quem non extinguere liceat, 1. Thess. 5, 19. Pietastris habent